~~35~~ 8

S. p. d. Iam sextum ad te scribo mi Vadiane, neque abs te vel literarum
vel salutis quidpiam accipio. Et quod omnium maxime me
angit de salute tua nihil penitus intelligere possum. Quae autem
humanarum negotiorum sit instabilitas: quae infirmitudo qui non
videat, is certe prorsus nihil videbit. An non Arbogastes
noster (cuius ad recordationem ingenti dolore afficior)
an inquam non quando isthinc proficiscebatur mente erat
hilari: valetudine secunda: corpore integro sensibus integris
aetatis flore? Erat inquam ut qui maxime. Sed eum
quo eum mortis violentia traduxit? Non possum equidem non
ex intimis cordis penetralibus ingemiscere quotiescunque naturae
nostrae imbecillitatem mecum reputo. Quam vere Euripides
Terram nihil nutrire homine imbecillius. Neque Lucianus
inepte cui res omnes humanae a filo dependere videbantur.
Verum ad eliminandum ingruentem dolorem talia non
faciunt. Arripiamus potius leviora Arbitramur ~~potius~~
Arbogasten nostrum (sicuti certe est) ab exilio ad patriam:
a carceribus ad metam: desudato egregie omni pulvere
expedasse. Mortem quoque dixi: in meliorem commigrasse
habitationem. Voluimus Hexasticho: tametsi non satis elaborato
expressimus: sumpto ab Jasonis Pherei historia exemplo
cuius vomicam sive fistulam ab omnibus medicis deploratam:
Valerii post Ciceronem & Valerius plinius in memoriae prodidit.
hostis in acie exitiali sanavit vulnere. Quo Arbogasten
loquentem facimus: similiterque sibi ab Atropo factum esse
utramque. Id autem est

Fistula maerentis rodebat Jasonis artus
Reppulit & medicas frustra petita manus
At manus exertum quae cordis strinxit in oras
Mucronem. Hac illi vita salusque fuit
Sic fera florentis rumpens mihi stamina vitae
Atropos, in ~~sacra~~ transtulit Elysium.

Rogabam autem superioribus literis ut certiorem me redderes de rebus
Viennensibus. Nunc autem idem abs te commendo. Atque id eo
impensius quod non sit animo ~~comperam~~ Lipsum petam
sed Viennam repetiturus sim. Velim itaque primum

certiorem reddas numquid diutius istic ~~dictatos~~ mansurus sis.
Oderatissimum n. nostro quid Velle te Cracoviam demigrare.
Quod si ita esset, neque aspernareris consuetudinem meam,
libentissime eodem & tecum & cum Mario nostro eo profi
cerer. Sin autem Viennae commoraturus esses itidem rogo
certiorem facias. Cuperem in contubernio tuo agere.
Ad haec rogo scribas quod ad tempus lectiones publicae prosequ
ore tempore unius cuiusvis nihil est pretiosius diutius hic contram

Vale mi Vadiane & rescribe. Raptim Olomucz III Eid. Sep.
MDX. [illegible]
P Aphricanus